



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Art. V. Vtrum homo lapsus indigeat specialigratiâ, & quali, ad observanda
omnia præcepta naturalia collectivè, quantum ad substantiam operis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

236. **Obijciatur quartò:** Homo habet naturalem inclinationem ad diligendum Deum super omnia, ut docere videtur I. Thomas hic art. 3. & late probat Victoria in relect. De homicidio n. 10. Ergo si crearetur in puris naturalibus, posset cum solo concursu generali, & sine auxilio gratiæ, reducere in actum hanc inclinationem, eliciendo actum dilectionis Dei ut authoris naturæ. Consequentia probatur: Tum quia aliàs inclinatio illa esset frustra, siquidem nullo modo posset reduci in actum, cum status naturæ puræ, auxilia gratiæ, quæ ad id essent necessaria, excluderet: Tum etiam, quia inductione constat, nullam esse inclinationem ad actum naturalem, quæ nullo modo possit per vires naturæ reduci in actum. Unde Theologi probant in Tractatu de visione beata, non dari in homine inclinationem naturalem ad beatitudinem supernaturalem, quia talis inclinatio non esset reducibilis ad actum, viribus naturæ, & à Deo ut dante talem inclinationem.

237. Respondet dato Antecedente, negando Consequentiam. Ad cuius probationem dicendum, quod ut inclinatio indita ab autore naturæ non sit frustra, sufficit quod possit reduci in actum per vires, & auxilia ordinis naturæ (sive illa sint generalia, sive specialia intra illum ordinem) absque recursum ad ordinem gratiæ. Unde cum homo in statu puræ naturæ, mediante auxilio speciali ordinis naturalis, Deum ut authorem naturæ posset diligere, & ad hoc non indigeret auxilio gratiæ, naturalis inclinatio ad diligendum Deum, quam haberet in illo statu, non esset otiosa & frustranea. Ex quo patet disparitas ad exemplum quod adducitur: inclinatio enim naturalis ad beatitudinem supernaturalem, neque per auxilia communia ordinis naturalis, neque per auxilia intra illum ordinem specialia, potest reduci in actum ideòque sine auxilio gratiæ illa esset vana & frustranea. Dixi dato Antecedente, quia Curiosi, & quidam alii existimant, inclinationem & appetitum naturalem in homine non esse ad diligendum Deum ut authorem naturæ, in seipso expressè & in particulari, sed solum ad amandum bonum universale & in communi, & Deum, ut confusè & implicite sub tali bono universali contentum.

S. V.

Tria corollaria præcedentis doctrinæ.

238. **E**X dictis inferas primò, contra aliquos Recentiores, quod etiam in statu naturæ lapsæ daretur homo qui in solo originali existeret, ille non posset, sine auxilio gratiæ, Deum ut naturæ authorem efficaci amore diligere: nam, ut supra ostendimus, impotentia ad eliciendum actum dilectionis efficaciæ Dei ut authoris naturæ, provenit in homine ex propensione quam habet ad bonum privatum, & imbecillitate ac impotentia ad exequendum ex viribus naturæ omnia quæ in illa dilectione virtualiter continentur. Sed talem propensionem & impotentiam haberet homo in solo originali existens: Ergo ille Deum ut authorem naturæ efficaci amore non posset diligere, absque speciali auxilio. Addo quod, licet in peccato originali non sit positiva conversio ad creaturam, bene tamen privativa aversio à Deo, etiam ut authore naturæ, ut alibi ostendimus: Sed hæc aversio non potest non esse

A maximum dilectionis Dei ut authoris naturæ impedimentum: Ergo &c.

Inferes secundò, quod etiam aliquis ignoraret invincibiliter se esse in peccato mortali perditioni, non posset tamen, absque speciali auxilio, Deum ut authorem naturæ, efficaci amore diligere: quia ille pariter esset inclinatus & propensus ad bonum privatum, & impotens ad exequendum ex viribus naturæ omnia quæ in dilectione efficaci Dei ut authoris naturæ virtualiter includuntur.

Inferes tertio, ad amorem concupiscentiæ Dei ut authoris naturæ, sufficientem ad impedendam totius legis naturæ adimplerionem, necessarium esse auxilium speciale: quia etiam in tali actu virtualiter continetur observantia totius legis naturalis, quæ sine speciali auxilio, in statu naturæ lapsæ poni nequit, ut articulo sequenti patebit.

ARTICULUS V.

Utrum homo lapsus indigeat speciali gratiâ, & quali, ad observanda omnia præcepta naturalia collectivè, quantum ad substantiam operis?

S. I.

Premittuntur quæ sæpe apud omnes sunt certa, & referuntur sententiæ.

Suppono primò tanquam certum, hominem in nullo statu posse implere præcepta supernaturalia virtutum Theologicarum, sine gratiâ: cum enim actus illarum virtutum sint supernaturales quantum ad substantiam, nequeunt elici per vires naturæ. Unde D. Thomas supra quæst. 63. art. 2. ad 2. dicit: *Sunt quedam peccata mortalia quæ homo sine gratia nullo modo potest vitare, quæ scilicet directe opponuntur virtutibus Theologicis.*

Suppono secundò, hominem in omni statu indigere gratiâ, ad implenda præcepta naturalia quantum ad modum, ut scilicet ex charitate, & meritorie ac fructuose ad vitam æternam ea adimpleat: cum enim modus ille sit supernaturalis, & actus virtutum naturalium elevet ad ordinem & finem supernaturalem, manifestum est, illum sine gratia & charitate, quæ est forma virtutum, illique confert vim præcipuam merendi æternam felicitatem, non posse poni in nostris actibus. Quod autem distinctio de observantia præceptorum quantum ad substantiam, & quantum ad modum, admittenda sit, patet tum ex D. Thoma hic art. 4. ubi illam expressè docet: tum etiam ex Bulla Pii V. & Gregorii XIII. prohibentium § 8. Bani propositionem, quæ asserbat huiusmodi distinctionem esse commentitiam & explodendam. Ratio etiam suffragatur: Licet enim charitas cadat sub præcepto sigillatim & in particulari, secundum tamen quod est finis ultimus cuiuscumque præcepti, non cadit sub præcepto: quia ut communiter dicitur, *finis præcepti non cadit sub præcepto*. Ergo modus operantis, scilicet quod ex charitate impleat præceptum, est extra substantiam operis præcepti, & per consequens stare potest impletio & opus præceptum quoad substantiam, sine tali modo, & distinguimur impletio præcepti quoad substantiam, & quantum ad modum.

Suppono

243 Suppono terciò contra Vazquem hñc disp. A
189. cap. 2. & disp. 193. cap. 3. hominem in statu
naturæ integræ, sine ullo auxilio gratiæ, & cum
solo concursu generali, potuisse adimplere to-
tam legem naturalem quoad substantiam ope-
ram legem naturalem quoad substantiam ope-
ram. Probatur tum autoritate D. Thomæ, hñc
art. 4. id expresse docentis: tum etiam ratio-
ne ex dictis articulo præcedenti desumptâ.
Nam, ut ibidem cum eodem S. Doctore docui-
mus, homo in natura integræ, ex vi præcisè doni
integritatis, & cum auxilio generali, Deum ut
authorem naturæ efficaci & perfectâ dilectione
amare poterat: Ergo ex vi ejusdem integra-
tis, eodem generali concursu adjuncta, omnia
mandata naturalia poterat observare. Conse-
quentia patet: dilectio enim efficax, ut ibidem
ostendimus, totius legis adimpletionem virtua-
liter continet.

244 Confirmatur primò: Homo in statu naturæ
integræ, ex vi doni integritatis, esset rectus, &
circa Deum finem naturæ ordinatus: Ergo et-
iam ratione tantum illius doni, & absque nova
gratia speciali, esset ordinatus & rectus circa
media ducentia in talem finem. Antecedens est
certum: Consequentia probatur. Ordinatio
enim circa finem, ex se infert & asserit ordina-
tionem circa media in suo ordine; unde quia
gratia & charitas ordinant hominem ad Deum
ut finem supernaturalem, charitas, secundum
D. Thomam, infert & asserit ab intrinseco vir-
tutes morales infusâs, quibus homo ordinatur
in actu primo circa media supernaturalia.

245 Confirmatur secundo: Ideò Concilia, & Pa-
tres infra citandi, negant hominem lapsum, sine
speciali gratia, posse totam legem naturæ serva-
re, quia natura est infirma & debilitata per pec-
catum originale: At in statu integritatis natura
hominis non erat debilis & infirma, sed sana &
robusta: Ergo in illo statu posset ex vi integra-
tis, & absque alio speciali auxilio, totam legem
naturæ adimplere.

246 Confirmatur terciò: In statu innocentia non
poterat insurgere gravis tentatio ex suggestio-
ne Demonum contra præcepta naturalia; cum
suggestio ex deceptione vel errore exordium
habeat; durante verò statu innocentia, nullus
(saltem circa naturalia) poterat esse error vel
deceptio, ut in Tractatu de statibus naturæ hu-
manæ ostensum fuit: Ergo homo in illo statu,
talia præcepta, ex vi doni integritatis, absque
ullo speciali auxilio, observare poterat.

247 Dices: De facto primi parentes fuerunt ab
extrinseco tentati à serpente ad comedendum
de ligno vetito: Sed præceptum non comeden-
di de ligno vetito, non erat supernaturale, sed
naturale: Ergo possibilis erat illi statui tentatio
ab extrinseco contra præcepta naturalia.

Respondeo præcepta naturalia esse duplicis
generis; quædam indita, & quali cum natura in-
nata, qualia sunt præcepta Decalogi; alia positi-
va, & extra legem naturalem innatam, cujus-
modi fuit præceptum de non comedendo de
ligno vetito, primis parentibus impositum.
Quando ergo dicimus hominem in statu inno-
centia non potuisse tentari ab extrinseco de
transgressionem præceptorum naturalium, loqui-
mur de præceptis naturalibus primis generis,
quia circa illa non poterat esse error vel igno-
rantia practica in intellectu ejus, non verò de
aliis. Unde Adam potuit tentari à serpente, vel
ab uxore, ad comedendum de ligno vetito, & ad

resistendum huic tentationi indigebat speciali
auxilio, quod (ut docet D. Thomas 1. p. quaest.
94. art. 4. ad 5. & quaest. 18. de verit. art. 6. ad
13.) ipsi deruit, quia ad illud impetrandum per
orationem ad Deum recursum non habuit.
Idem tradit Gelasius Papa in dictis adversus Pa-
lagianam hæresim, quæ habentur tomo 3. Con-
ciliorum, pagina 51. editionis Parisiensis anni
1636. nam ibi columnâ 6. sic ait: *illa primæ condi-
tionis integritas, dum ita de se fuit, tanquam ipso qui
condidit, ut non egeret, nec de præceptis agit gratias,
quod nusquam fecisse memoratur, nec de conservandis
quæ sumptis posset auxilium, nec ad eam, etiam
pulsata tentatoris accessu, devota currit & consultat,
suaque se credit inter prospera voluntati, facili sine
præsidio Creatoris patitur deceptoris insidijs, &
in prævaricationem tracta consequenter illiciti, con-
ditionem præfixæ mortis invenit.*

Denique patet ex dictis art. 3. posse hominem
in statu corruptionis aliqua legis naturalis præ-
cepta, sine speciali gratia observare; cum, ut ibi
ostendimus, posset cum solo concursu generali
aliquando efficere bonum aliquod opus, unde
quaque honestum, nulla prava circumstantiâ
vitiatum. Et quamvis istud non esset possibile,
non sequeretur inde nullam præceptum sine
speciali gratia posse impleri; cum per actum ali-
quâ malâ circumstantiâ vitiatum, aliquando præ-
ceptum aliquod particulare impleatur, v.g. præ-
ceptum misericordiæ, per eleemosynam datam
ex vana gloria. Quod igitur in questionem ver-
tinus, non est de uno aut altero legis naturæ
præcepto, sed de omni collectivè, non ut meri-
torie fit, sed secundum substantiam spectato. In
cujus resolutione tres præcipue versantur sen-
tentia.

Prima docet, posse hominem in statu naturæ
lapsæ, absque speciali auxilio, omnia præcepta
legis naturæ, sub mortali obligatione, quoad sub-
stantiam observare; et quoad charitatis mo-
dum, & prout ad salutem & justificationem
conducunt, ea adimplere neque: per quod à
Pelagio, & ipsius reliquiis, se satis recedere exi-
stimat. Pro hac sententia citari solent Scotus in
2. dist. 28. quaest. 1. Gabriel ibid. q. 1. art. 2. Duran-
dus quaest. 3. & 4. & Abulensis in cap. 19. Mat-
thæi quaest. 177. & 178.

Secunda asserit hominem lapsum id posse præ-
stare sine gratia habituâ & sanctificante, non
tamen sine actuali & auxiliante. Ita Vazquez
hic disp. 196. cap. 3. pro ea plures ex antiquo-
ribus Theologis referens.

Tertia, quæ est communis in Schola Divi
Thomæ, & quam plures ex extraneis ample-
ctuntur, ad observanda omnia præcepta natu-
ralia collectivè, utramque gratiam, tam habi-
tualem, quam actualem, necessariam esse affir-
mar.

§. II.

Sententia Scoti rejicitur.

Disco primò: Homo in statu naturæ lapsæ non
potest totam legem naturæ quoad substan-
tiam observare, sine speciali gratia. Ita D. Tho-
mas hic art. 4. ubi id probat in argumento *sed
contra* ex D. Augustino lib. de hæresibus, hæresi
88. ubi oppositum ad hæresim Pelagii pertinere
his verbis asserit: *Hi Dei gratia tantum inimici
sunt, ut sine hac posse hominem credant facere om-
nia divina mandata.* Qui error in variis Con-
ciliis

ciliis Proferibitur, præsertim in Milevitano san. 3. 4. & 5. ubi anathema dicitur ei qui dixerit hominem indigere gratiâ solum ad faciendum, & non ad simpliciter implendam legem. Et in Arausicano 2. can. 25. ubi sic habetur: *Hoc Deo propitiante, & predicare debemus, & credere, quod per peccatum primi hominis ita inclinatum & attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus postea, aut diligere Deum sicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deum quod bonum est possit, nisi gratia eum & misericordia divina præveniat.*

251 Neque dici potest, hæc & similia Conciliorum & Patrum testimonia intelligi debere de impletione præceptorum supernaturalium, vel de observantia naturalium fructuosa, & meritoria vitæ æternæ. Nam Concilia & SS. Patres loquuntur de indigentia gratiæ ad implenda mandata, specialiter respectu hominis lapsi, & dicunt eam provenire ex infirmitate naturæ, & liberi arbitrii debilitate, ut patet ex verbis Arausicani jam ætatis: *At indigere gratiâ ad implenda præcepta supernaturalia, & ad observanda naturalia quantum ad modum, seu meritorie & fructuose, non est quid speciale & proprium homini lapsi, cum etiam homo in natura integra ad id impotens esset ex propria, neque oritur ex lapsu & infirmitate hominis, sed ex supernaturalitate actus præcepti, aut meriti vitæ æternæ: Ergo hæc interpretatio non est legitima, nec menti Conciliorum & SS. Patrum consentanea.*

252 Confirmatur: Aliquid speciale dicitur, juxta communem sensum & intelligentiam, de observantia omnium præceptorum collectivè, quod non dicitur de impletione unius vel alterius præcepti divisivè: Sed nihil speciale esset in Concilio, si tantum loquerentur de impletione præceptorum supernaturalium, vel de observantia legis naturalis fructuosa & meritoria; cum ad implendum unicum præceptum supernaturale, & ad observandum minimum mandatum legis naturæ fructuosè, & meritorie, gratia necessaria sit, ut omnes fateantur: Ergo non est sermo tantum de impletione præceptorum supernaturalium, vel de observantia naturalium fructuosa, & meritoria vitæ æternæ, sed etiam de observantia totius legis naturæ quantum ad substantiam.

253 Confirmatur amplius: Pelagius non solum erravit, asserendo posse hominem per proprias vires totam legem adimplere, comprehendendo supernaturalia præcepta, vel naturalia, prout ad salutem proficua; sed etiam eo quod existeret, ipsum posse ex viribus liberi arbitrii totam legem naturæ collectivè adimplere, ut constat ex Patribus Africanis in Epistola ad Innocentium, quæ est 90. apud Augustinum, ubi sic habetur: *Isti autem (scilicet Pelagiani) asserunt in eo Dei gratiam esse deputandam, quod talem hominis instituit, creavitque naturam, quæ per propriam voluntatem legem Dei posset implere, sive naturaliter in corde conscriptam, sive in litteris datam &c.* Ubi clarè in utroque errasse Pelagium ab his Patribus docetur: At Conciliorum scopus erat ipsius errorem penitus extirpare: Ergo illa non solum intendebant statuere necessitatem gratiæ ad observanda præcepta supernaturalia, vel naturalia, prout ad salutem proficua, sed etiam ad implendam totam legem naturæ quantum ad substantiam.

254 Potest etiam suaderi conclusio ex dictis art.

A præcedenti: Nam tota lex naturæ includit omnia mandata naturalia, à primo usque ad ultimum: Sed homo lapsus non potest sine auxilio gratiæ observare primum omnium mandatorum, nimirum præceptum dilectionis Dei ut auctoris naturæ, sicut articulo præcedenti ostendimus: Ergo nec totam legem naturæ.

Confirmatur: Intentio efficax ultimi finis, 255 virtualiter continens omnium mandatorum observantiam, speciale Dei auxilium requirit, ut ibidem monstravimus: Ergo & à fortiori ipsius executio, seu totius legis naturalis adimpletio; non enim minor, imò major apparet difficultas in executione dilectionis efficax, quam in ejus intentione & affectu.

Confirmatur amplius: Homo infirmus non 256 valet ex propriis viribus ad actum perfectissimum hominis sani, ut ibidem diximus, & ratio naturalis suadet: At opus perfectissimum, quod homo integer & sanus ex propriis viribus efficere poterat, erat totius legis naturalis observantia, quantum ad substantiam operis, cum ad modum supernaturalem conducentiæ ad salutem, in statu sanitatis & integritatis, specialigratia indigeret, ut suppositione 2. ostendimus: Ergo homo lapsus ex propriis viribus non potest adimplere totam legem naturæ quantum ad substantiam.

§. III.

Solvuntur objectiones.

C Contra hanc conclusionem plura solent ob- 257 jici Scripturæ testimonia, quæ ei videntur adversa: ut illud Deuteronomio 30. *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non est supra te, neque procul positum, nec in caelo situm.* Quibus verbis insinuat Moyses, legem quam nomine Dei intimat Hebræo populo, non esse supra naturales ipsius vires. Item illud Ecclesiæ 15. *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilii sui, adjecit mandata & præcepta sua: si volueris mandata servare, conservabunt te.* Quibus etiam verbis aperte significatur, esse positum in voluntate uniuscujusque, divina servare mandata. Unde Augustinus, vel Author libri hypognosticon, lib. 3. prope initium: *Quid est (inquit) quod reliquit eum in manu consilii sui, nisi dimisit eum in potestate liberi arbitrii sui? in manu enim possibilitas intelligitur.* Denique Apostolus ad Romanos 2. ait: *Gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legi sunt faciunt.* Ergo ex Scriptura homo lapsus totam legem naturæ sine speciali gratia observare potest.

Ad primum locum aliqui respondent, Moysem non loqui de facilitate servandi totam legem, tam moralem, quam ceremonialem, de qua agit, sed præcisè de facilitate eam cognoscendi; ita ut sit sensus, Judæos non potuisse excusationem prætereendere super ignorantiam legis, quandoquidem non debebant cælum ascendere, aut mare transire, ad eam cognoscendam, cum ipsæ eam clarè & evidenter promulgaret. Sed licet hæc explicatio sit gravissimorum Authorum, ut Lyrani, Abulenlis, Bellarmini, & aliorum, non videtur tamen legitima, nec textui consona, manifestè loquenti etiam de facilitate servandi legem, ut patet ex verbis quæ immediate sequuntur post adducta: *Ut deserat illud ad nos, & audiamus, & opere impleamus.* Adde quod Moyses non oclulussit omnem viam excusationis: potuissent enim Judæi respondere, quod licet notitia legis esset facilis, difficilis tamen esset, & fortè impossibilis ejus adimpletio.

Meliùs

159 Melius ergo respondetur, Moysen loco ad-
ducto solum intendere, præcepta legis esse in-
potestate hominis, non ut operantis ex solis viri-
bus naturæ, sed ut moti & adjuvi divinæ gratiæ,
quæ cor interiori pulsât, cum lex interiori auribus
inlucet. Solutio est D. Thomæ hic art. 4. ad 2. ubi
sic ait: illud quod possumus cum auxilio divino, non est
nobis omnino impossibile, secundum illud Philosophi in
3. Ethic. Quæ per amicos possumus, aliquantulum per nos
possumus. Et art. 6. ad 2. Cum dicitur homo sa-
pientem quod est, dicitur hoc esse in potestate hominis,
secundum quod est motus à Deo. Non ergo absolute
homo potest, sed homo adjuvatus, quod quia in prom-
ptu est, & omnibus offertur ad observandam le-
gem, mandatum dicitur non esse supra, sed juxta
nos.

160 Infabis: Si ut aliquid homini iuste præcipi pos-
sit sufficere quod illud cum Dei auxilio possit
præstare, sequitur Deum posse imperare claudu-
rambulat, & cæco ut videat; quia hæc per spe-
ciale Dei auxilium fieri possunt.

Sed negatur sequela: quia cæco deest poten-
tia physica ad videndum, unde non est capax il-
lius præcepti, nisi restituatur per miraculum po-
tentia; quod miraculum non est illi ablatum, &
quali in promptu. At verò voluntas infirma ha-
bet potentiam physicam ex parte libertatis ad
volendum bonum, & solum illi deest, ratione
infirmitatis & corruptionis naturæ; potentia
moralis & expedita, quam per auxilium Dei,
quod ipsi offertur, & veluti in promptu est, ha-
bere potest.

Ad secundum locum eodem modo respon-
deri potest sicut ad præcedentem: vel dici cum
Auctore libri hypognofticom, loco citato, Scri-
pturam loqui de primo homine in statu inno-
centiæ, in quo fuit à Deo conditus, & in quo ha-
bebat liberum arbitrium omnino sanum, per
gratiam & iustitiam originalem. Unde post-
quam ille Auctor dixit, quod per hæc verba, re-
liquit eum in manu consilij sui, non aliud intelli-
gitur, quam, reliquit eum in possibilitate sui arbi-
trij addit: Ipsa possibilitas est prima gratia, quæ pri-
mo homo habere potuisset, si servare mandata Domini
voluisset; quæ per inobedientiam desinitus, factus est
serpens, id est Diabolo, cui maluit obedire quam Deo,
captivus.

Ad tertium dicendum, hunc locum Apostoli
non de tota lege, sed de facilioribus præceptis
intelligendum esse.

261 Obijces secundò: Præcepta legis naturæ, cum
sint naturalia, vires naturæ non excedunt. Ergo
ad illa implenda gratia necessaria non est.

Respondeo distinguendo Antecedens: non ex-
cedunt vires naturæ, sanæ & integræ, concedo
Antecedens: infirmæ & corruptæ, nego Antece-
dens, & Consequentiam. Cum enim natura hu-
mana per peccatum originale læsa sit in natura-
libus, indiget gratiâ sanante ad perfectissimas
ordinis naturalis operationes exercendas, qua-
les sunt totius legis naturæ impletio, & dilectio
Dei ut authoris naturæ, quæ de se infert om-
nium aliorum præceptorum observantiam, &
eam habet adjunctam, quandiu illa durat.

262 Obijces tertio: Qui potest singula præcepta
adimplere, potest omnia collectivè. At homo la-
pius potest singula præcepta legis naturæ sine
speciali gratia observare. Ergo & omnia.

Respondeo primò Minorem esse falsam: nam
homo lapsus non potest sine gratia observare

Tom. IV.

A primum & maximum mandatorum legis natu-
ræ, nimirum præceptum dilectionis Dei ut au-
thoris naturæ, sicut articulo præcedenti ostendi-
mus. Plures etiam non improbabiler existimant,
esse alia præcepta naturalia ita difficilia,
ut ab homine lapso & in peccato mortali existe-
te absque speciali gratia adimpleri nequeant:
qualia sunt præcepta remittendi injurias, ac ini-
micos diligendi, & orandi pro illis; propter
quod Auctor operis imperfecti homin. 13. in
Matth. dixit: Qui pro inimico suo orat, gratia opus
exequitur; item castitatem servandi, vehementer
urgente tentatione & occasione. Unde Sapi-
ent. 8. dicitur: Servi quoniam alter non possum esse
continent, nisi Deus det.

Respondeo secundò, datâ Minori negando
Majorem, cujus falsitas constat ex dictis supra,
agendo de cognitione veritatum naturalium, &
infra, agendo de venialibus, apertius patebit.

Dices: Præcepta Decalogi sunt tantum decem: 263
supponamus ergo quod homo servaverit novè,
quæro utrum possit servare decimum, vel non;
Si primum, poterit observare omnia præcepta
collectivè. Si secundum, non poterit observare
omnia divisivè.

Respondeo primò negando suppositum, nem-
pe hominem posse ex suis proprijs servare
omnia præcepta Decalogi, usque ad ultimum;
nam quando dicimus illum posse servare omnia
præcepta divisivè, sentus est, illum posse hoc vel
illud, & quodcumque designabile in particula-
ri observare, cum morali tamen necessitate de-
ficiendi in aliquo vagè & indeterminatè, necessi-
tate, inquam, proveniente non ex parte objecti
trahentis per modum naturæ, sed ex infirmitate
potentiæ per peccatum debilitatæ.

Respondeo secundò, dato etiam & non con-
cesso, quod ita posset homo usque ad ultimum
præceptum devenire, tunc in eo diceret, quia
licet habeat potentiam proportionatam & ex-
peditam respectu illius fontis & divisivè
sumpti, non tamen respectu illius, in conjuncti
cum alijs, & ut terminantis totam præcepto-
rum naturalium collectionem licet sup. art. 1.
diximus de veritatibus naturalium cognitione.

Obijces quarto: Deus ut author naturæ non
præcipit aliquid, ad cuius observantiam ut au-
thor naturæ non possit hominem perducere. Sed
ut author naturæ præcipit homini observan-
tiam legis naturalis. Ergo ut author naturæ po-
test ad eam hominem perducere & per conse-
quens ad observandam legem naturalem homo
non indiget auxilio supernaturali.

Respondeo distinguendo Majorem: Deus ut
author naturæ non potest & c. absolute, & nullâ
factâ suppositione, concedo Majorem: per acci-
dens, & factâ aliquâ suppositione, nego Majorè;
& concessa Minori, distinguo Consequens distin-
ctione Majoris. Sentus distinctionis est, quod
quamvis Deus, ut author naturæ subindeque
absque gratiâ, seu dond intrinsece & quoad sub-
stantiam supernaturali, possit, absolute loquen-
do, & nullâ factâ suppositione, tribuere homi-
ni auxilia necessaria ad observantiam legis na-
turæ sicut de facto pluribus concessisset, si homi-
nem in statu naturæ puræ condidisset: ex suppo-
sitione tamen quod natura humana sit elevata
ad statum supernaturalem (in quo statu obser-
vantia legis naturalis includit indirectè obser-
vantiam legis etiam supernaturalis, ut articulo
præcedenti conclus. 3. declaravimus (non est

opus

opus quod Deus præcise ut author naturæ, possit tribuere omnia auxilia, ad legis naturalis observantiam necessaria, sed sufficit quod id possit præstare, vel ut author naturæ, vel ut author supernaturalis; præsertim quia supposita elevatione naturæ humanæ ad statum & finem supernaturalem, Deus etiam ut author supernaturalis, indirecte præcipit homini observantiam legis naturalis, cum hæc ad supernaturalem, ut ad finem & consummationem, ordinetur.

§ III.

Sententia Azquezij refellitur, & qua gratia adoptivam legem naturæ observandam necessariam sit, declaratur.

Dico secundò: Ad totius legis naturæ observantiam necessaria est in homine lapsò gratia habitualis, non solum consequenter, & ex parte termini, sed etiam antecedenter, & ex parte principii.

266 Prima pars probatur primò ex Concilio Milevitano supra citato can. 3. ubi sic habetur: *Placuit ut quicumque dixerit, gratiam Dei, quæ justificamur per Iesum Christum, ad solam remissionem peccatorum valere quæ iam commissæ sunt, non etiam ad adiutorium, ut non committatur, anathema sit.* Ubi nomine gratia quæ justificamur, si proprie, ut debent, verba accipiuntur, non gratia auxilians, quæ dispositivè ad justificationem concurrat, sed gratia habitualis, per quam formaliter justificamur, & in filios Dei adoptamur, intelligi debet. Unde Partes ejusdem Concilii Epist. 95. apud Augustinum, hanc gratiam dicunt esse quæ Christiani & filij Dei sumus. Et infra: *Quæ prædestinatio vocatur, justificamur, & glorificamur.* Item D. Thomas hic art. 4. ait: *In statu naturæ corruptæ non potest homo implere omnia mandata divina, sine gratia sanam, quæ gratia justificans est.*

267 Potest etiam eadem pars hac ratione probari. Impossibile est esse bene ordinatum circa media, qualia sunt præcepta, & non circa finem, scilicet Deum, quia media propter finem eliguntur, & intuitu ejus: At sine gratia sanctificante & charitate nullus est bene ordinatus in Deum ultimum finem: Ergo sine illa nullus potest in statu naturæ lapsæ omnia mandata naturalia observare.

268 Confirmatur ratione à posteriori: Nusquam homo in peccato exiens totam naturæ legem implevit: Ergo sine gratia à peccato sanante, totius legis naturæ adimpletio possibilis non est. Quo argumento usus est D. Hieronymus adversus Pelagianos dialog. 1. ut probaret non posse hominem sine gratia auxiliante totam legem observare.

269 Secunda etiam conclusionis pars ratione suadet: Homo inimicus & infensus Deo, non est aptus & convegiens subjectum, cui Deus conferat tantum beneficium, quale est auxiliorum cumulus, quæ ad totius legis naturalis observantiam requiruntur: At nisi gratia habitualis & justificans in subiecto præcedat, homo est in statu inimicitie: Ergo necessaria est habitualis gratia antecedenter ex parte subiecti, ut constituens illud in statu congruo, ad hoc quod Deus impertiat ei gratias auxiliares, ad totius legis observantiam necessarias.

270 Confirmatur: Homo per culpam duas infirmitates contraxit, alteram in mente, per aversionem à Deo; alteram in parte inferiori, quæ

A deordinata à subiectione ad rationem remansit incongruum autem videtur, quod pars interior per auxilia actualia parti superiori subiciatur, nisi prius ista per gratiam habitualement fuerit sanata, & Deo ut ultimo fini per charitatem subiecta.

Dico tertio: in homine lapsò ad totius legis naturæ observantiam, præter gratiam habitualement necessariam requiritur specialis gratia auxilians, quæ quidem per se, & attentà rei naturæ, debet solum esse specialis intra ordinem naturæ, sed supposita hominis ad ordinem supernaturalem elevatione, per accedens debet esse entitative supernaturalis.

B Probatur prima pars: Impotentia moralis ad totius legis naturæ observantiam in homine lapsò, & in peccato mortali existente, non solum provenit ex defectu subiectionis mentis ad Deum ut ultimum finem, sed etiam ex rebellionem & pugna appetitus inferioris contra rationem: At licet gratia habitualis mentem Deo ut ultimo fini subiciat, hanc tamen rebellionem appetitus inferioris contra superiorem non tollit, sed eam ad agonem, & meritum, ac profectum vitæ spiritualis, in nobis relinquit, ut docet Tridentinum sess. 5. decreto de peccato originali, & experientia facis ostendit. Ergo in homine lapsò ad totius legis naturæ observantiam, præter gratiam habitualement, seu justificantem, gratia actualis, seu auxilians, necessario requiritur.

C Quod verò talis gratia, per se, & attentà rei naturæ, non debeat esse supernaturalis entitative, sed sufficiat quo sit specialis intra ordinem naturæ, patet: Nam totius legis naturæ observantia ex aliquo motivo honesto naturali, est entitative naturalis: Ergo per se exposcere nequit pro principio proximè eliciente, gratiam auxiliantem entitative supernaturalem. Quod autem, supposita naturæ humanæ ad ordinem supernaturalem elevatione, per accedens illam exigat, patet ex dictis articulo præcedenti §. 2. agendo de dilectione Dei naturali, ubi id ex professo probavimus: unde ad hunc locum lectorem remittimus, ne eadem inutiliter repetamus.

§. IV.

Præcipua objectiones solvuntur.

Objicies primò contra secundam conclusionem: Pelagius non erravit negando necessitatem gratiæ habitualis ad totius legis naturæ observantiam, sed solum negando necessitatem gratiæ actualis ad illam implendam. Ergo Concilia ipsius errorem damnantia, non habitualis, sed actualis gratiæ necessitatem ad legem naturæ observandam astruunt. Consequentia videtur legitima. Antecedens verò probatur ex dictis in Tractatu de hæresi Pelagiana, in quo Pelagium, gratiam habitualement, seu remissivam peccati agnovisse, contra Suarem fuisse ostendimus.

E Respondeo negando Antecedens: Pelagius enim gratiæ tam habitualis quam actualis necessitatem ad legem naturæ observandam sustulit, dum asseruit divina mandata viribus liberi arbitrii posse servari per hoc enim omnis gratiæ necessitas excluditur. Unde ad probationem dicendum, quod licet ille gratiam habitualement, seu remissionis peccatorum agnovit, non tamen ut necessariam ad legis observantiam: ac proinde Concilia, dum ipsius errores proferunt, non solum actualis, sed etiam habitualis gratiæ necessitatem ad legem naturæ observandam astruunt.

Objici-

271 Obijciuntur secundò: Totius legis naturæ observantia est opus naturale entitativè: Ergo pro sui principio gratiam habitualem nequit exigere. Antecedens est certum, Consequentia verò probatur. Nam eo ipso quod actus pro sui principio formam entitativè supernaturalem expofcat, excedit facultatem naturæ, & consequenter in sua entitate supernaturalis est.

276 Respondeo concessio Antecedente, distinguendo Consequens: pro sui principio gratiam habitualem nequit exigere, per se & tanquam principium eliciens, concedo: ex suppositione peccati, & ut principium expediens, seu removendus culpa impedimentum, nego. Vel secundò distinguo Consequens; nequit exigere gratiam habitualem, ut principium sui physicum, concedo: ut principium morale, removens ab homine statum positivè indignitatis respectu auxiliorum gratiæ, quæ ad totius legis naturæ observantiam requiruntur, nego. Hæ solutiones patent ex dictis probando secundam partem conclusionis.

277 Obijciuntur tertio: Gratia habitualis, cum intra ordinem supernaturalem se habeat per modum naturæ, non est ad operandum, sed ad essendum, nec movet potentias animæ ad suos actus eliciendos, sed duntaxat animam sanctificat, & mundat à macula peccati: unde quantumvis homo sit sine peccato, & gratia habituali exornatus, debilis est ad boni operationem, nisi auxilio actuali & sanctâ cogitatione moveatur, & adjuvetur: Ergo gratia necessaria ad legis naturæ observantiam, non est habitualis, sed actualis, in sanctâ cogitatione & pia voluntatis motione consistens.

278 Respondeo concessio Antecedente, negando Consequentiam: nam per peccatum duas infirmitates contraximus: alteram in parte superiori, per aversionem à Deo ut ultimo fine: alteram in parte inferiori, per inobedientiam & rebellionem ipsius ad superiorem; & ratione utriusque debiles ad operandum remanemus. Cum enim vires voluntatis ad bene operandum organa media, ex affectu ad finem sumantur, consequens est, ut parte superiori à Deo per peccatum aversa, languescant ac deficiant voluntatis vires ad recte operandum, & ad observanda divina mandata: unde ut fortis reddatur, debet tolli aversio à Deo ut ultimo fine, quæ non nisi per gratiam habitualem auferri potest. Quare licet gratia habitualis non prærequiratur tanquam virtus per se & necessariò adjuvans ad observanda naturalia præcepta, exigitur tamen ut removens prohibens dilectionem Dei, per quam voluntas firma redditur ad operandum, & ut constituens subiectum habile & congruum, ut connaturaliter ipsi dentur auxilia ad continuam legis observationem necessaria, sicut in probatione secundæ partis conclusionis declaravimus.

§. V.

Corollaria notata digna.

279 EX dictis inferes primò, hominem conditum in puris naturalibus non posse viribus suis naturæ observare omnia præcepta legis naturalis: nam in illo statu pateretur eandem rebellionem appetitus sensitivi contra rationem, quam patitur in statu naturæ corruptæ; solumque est discrimen, quod rebellio in illo statu haberet rationem conditionis naturalis in hoc verò haberet rationem poenæ, vulneris, & aegritudinis.

Item, IV.

Inferes secundò, Deum homini constituto in illo statu datum fore auxilium, quo posset observare totam legem naturalem: quia ad suavitatem divinæ providentiæ pertinere, non relinquere hominem tam imperfectum, ut non posset observare totam legem naturæ, suumque finem naturalem consequi, ut in Tractatu de statu hominis, ad 2. in res. ad 1. obiect. 281

Inferes tertio, huiusmodi auxilium esse quidem speciale intra ordinem naturæ, hominique in tali statu debitum: sed esse naturale quantum ad suam entitatem & substantiam: tum quia in illo statu nihil esset entitativè supernaturale: tum etiam quia in statu naturæ lapsæ, per accidens requiritur auxilium entitativè supernaturale ad diligendum Deum ut authorem naturæ, & observanda omnia præcepta naturalia, ratione scilicet elevationis naturæ humanæ ad finem supernaturalem: in statu verò puræ naturæ homo ad talem finem non esset elevatus, sed Deum ut authorem naturæ, tanquam finem ultimum respiceret.

In quinto articulo hujus questionis, D. Thomas docet non posse hominem sine gratia vitam æternam mereri. In sexto, ut se præparet ad habitualem gratiam, non indigere ulteriori dono habituali, bene tamen auxilio gratiæ moventis: ut autem meritorie operetur, gratiæ habituali egere. In septimo, non posse hominem sine habitu gratiæ à peccato resurgere. Quorum articulorum expositionem prætermittimus, quia infra quæst. 13. & 14. de his agitur.

ARTICULUS VI.

Utrum homo lapsus sine gratia possit diu non peccare mortaliter contra præcepta naturalia?

Licet constet ex dictis articulo præcedenti 282 legem naturæ esse necessariam ad legem naturæ implendam: quia tamen non est omnino idem implere præcepta, & non peccare; cum observatio præceptorum includat positivam operationem elicitam ab homine; non peccare verò præcisè solum importet cessationem ab actu malo, ad quam non tantum requiritur, sicut ad positivè operandum; ideo adhuc superest resolvendum, an gratia sit necessaria ad non peccandum contra præcepta legis naturæ? Unde articulus octavus hujus questionis, in quo S. Doctor quærit, *Utrum homo sine gratia possit non peccare?* non est superfluous, nec coincidit cum quarto, ubi quærit, *Utrum homo sine gratia, per suam naturam, legis præcepta implere possit?*

Addit Curiel, in observantia præceptorum duplicem reperiri difficultatem, unam veluti objectivam, quæ provenit ex objecto, & propria gravitate ipsorum præceptorum, & de hac disputat S. Thomas art. 4. aliam convenientem ex continuatione & diuturnitate temporis, de qua agit art. 8. Licet enim nulla fiat expressa mentio in titulo hujus articuli, de longitudine temporis, virtute tamen explicatur, cum absolute quæritur, *Utrum homo sine gratia possit non peccare?* hoc enim non potest intelligi nisi de longo tempore, cum in brevi non occurrant multa peccata vitanda. Hoc præmissis,

Circa propositam difficultatem tres versantur præcipue Authorum sententiæ. Prima asserit

I 2

homi-